



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1565

Ad Vniversos Pios & Catholicos, Sacrarum Historiarum studiosos, Conradus
Brunus Iureconsultus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29789

AD VNIVERSOS PIOS
& Catholicos, Sacrarum Histo-
riarum studiosos, Conradus
Brunus Iureconsultus.

Quanta ex
Historiis uti-
litas.

Speculum re-
rum agenda-
rum.

INTER ea, quibus ad comparandam nobis Historiarum cognitionem inuitamur, præcipuum est, quod ex Historia, tanquam vitæ magistra, certas actionum humanarum formas & exempla, tum varia consilia, deprimimus: Quibus instructi, & quæ honesta & utilia sunt sequi, & quæ turpia & noxia, deuitare possumus. Nam si scitum est, quod in Comœdia Senex ad Adolescentem ait, Periculum ex aliis facere tibi, quod ex usu fiet: Et si istuc est sapere (vt in Adelphis inquit Seruus) non quod ante pedes modo est videre, sed etiam illa, quæ futura sunt prospicere: hanc certe sapientiam omnium maxime ex Historiis nobis comparabimus. Historia siquidem exempla nobis exhibet & velut ob oculos ponit, honestorum & prauorum consiliorum, tum quæ ex prauis mala, & quæ ex honestis consiliis bona fuerint consequuta, demonstrat: In quæ nos tanquam in speculum inspicientes, ex aliis nobis exemplum sumimus, & longe ante prospicimus, quæ consilia nobis amplectenda sint, quæ fugienda: & quomodo quæ honesta sunt & utilia, consequi: contra, quæ turpia & noxia, aliorum moniti exemplis, vitare possumus.

mus. Immo sunt, qui in Historiis ea tantum ponenda esse putent, quae aut fugienda sint aut sequenda. Sed & eam commoditatem affert Historia, quod de variis retroactorum temporum casibus, Historiarum scientia praediti, certius de presentibus iudicare: immo, quae euentura sunt, coniecere & praedicere possunt. Quae re tum id quoque assequantur, ut non solum imminetium periculorum tempestates ipsi declinare, & aliis etiam, quo ab his ipsis sibi caueant, praemonere possint: sed etiam quasi Mantici quidam omnibus admirationi sint, & pro Vatis habeantur. Et ne id mirum quidem, siquidem qui bene coniecat, eum optimum Vatem proverbio quoque veteres appellarunt, ut Plutarchus & Cicero scribunt: nimirum admonentes, futurorum praedictionem, non est sortibus auguribus & constellationibus petendam esse, sed a prudentia.

Siquidem qui prudens est, is ex praeteritorum presentiumque coniecturis facile, quid euenturum sit, prospicere potest. Propter quod & Aristoteles recte prudentiam atque sapientiam hominum, celerem diuinationem appellauit. At Prudentiam omnium maxime nobis ex Historiarum cognitione comparabimus. Etenim Historia nos docet, praeterita presentibus coniectere, & ex his coniecturas sumere, & quid futurum sit prospicere. Ipsa enim, velut ab alta specula, omnes hominum actiones, rationes, consilia, & euentus, longe retroactorum temporum contemplanda nobis demonstrat, & ex his quae gesta sunt, quid ex quolibet rerum gerendarum consilio euenire possit, conie-

*Julius Capi-
tolinus in tri-
bus Gordia-
nis.
De futuris
coniecere.*

*Cicero lib. 2.
de diuinatione.
Plutarchus in libello
de responsis
Pythiae.*

*Arist. lib.
Moralium
Eudemiorum
lib. 7.*

*Historia praedi-
cit prudentiam.*

re docet. Ex qua re & illud cōsequitur, vt qui
 ætate sunt non admodū prouecta, seniores etiā
 quātumlibet rerum vsu expertos, tamē Histo-
 riarū veterū ignaros (quorū ideo maior autho-
 ritas est, quia plura nosse & vidisse credūtur, vt
 Fabius ex Homero refert) prudentia, quam ex
 Historiarum lectione adepti sunt, vel equent,
 vel sæpe etiam superent: & quam illi pruden-
 tiam vix longa ætate, eam hij breui temporis
 spacio, sed assiduo Historiarū studio cōsequā-
 tur. Et (vt idem Fabius ait) quantū ad rerū co-
 gnitiōne pertinet, vt etiam præteritis sæculis vi-
 xisse videantur. Etsi autem ad omnes cōmu-
 niter ordines, ætates, ad omnis cōditionis & for-
 tunæ homines, summos & infimos, priuatos &
 Magistratus publicos gerētes, quas modo enu-
 meravi, pertineāt Historiarū vtilitates: tamē ma-
 ximus est, idemque optimus, fructus, quem re-
 rum publicarum Principes, & qui publicis in
 Repub. muneribus funguntur, ex Historiarum
 cognitione capiunt: ad omnes siquidem perti-
 net, quicquid ab his vel bene agitur vel male.
 Bene quidē & prudenter, si consiliis vsi fuerint
 bonis: male & perperā, si malis. Ipsi siquidem
 vel summo omniū bono prudētes sunt, vel sum-
 mo omniū malo stulti & insipiētes. At vero ex
 Historiis, tāquam officiorum omnium & pru-
 dentiæ instructissimo mundo, delectū faciēt, eo-
 rum quæ dixi cōsiliiorum tā bonorū quā malo-
 rum: vt illa amplectātur, hæc vero repudiēt atq;
 auerſentur. Historia siquidē multiuaga variaq;

lib. 12. ca. 4.
 orat. inſti.

Præcipuus
 fructus Hi-
 storiarum in
 Magistrati-
 bus.

Mundo, id est,
 ornatū arca
 aut reposito-
 rio.

acvberima omnis generis exēplorum copia, *Exemplorum copia ex Historiis.*
 innumeras ac diuersarum causarū & euētuum, *Id est pacificator seu princeps pacis.*
 cōsiliorumq; formas, in quibuscūq; negociis, tam sacris quàm prophanis: tā publicis quàm priuatis: tā pacis quàm belli, suppeditat. Veluti, si de sedāda plebis aduersus Magistratū seditione deliberādum sit, prudēs Irenarcha, id est, qui ad tollēdas discordias, & pacādos in Republica discordantium animos, p̄ficitur, multis ex Historiis sibi propositis cōsiliis id sibi deliget, quod bonum & fœlicē: contra vero repudiabit, quod malum & infaustum, euentum habuisse animaduertit. In qua re & illud diligēter cauebit, vt quę prudentiores probauerint, ipse quoq; probet: quę negligēda declinandaq; esse putauerint, ipse quoque negligat & declinet. Quale fere de Romanis exēplis iudicium fert Cicero. Ex exēplis (inquiēs) Romanorum ea esse sequēda, quę populū Romanū probat, nō quę cōdēnat. Sic cōsiliū Senatū Romani, quo ad sedāda plebis seditionē, in mōte sacro desideris, plebi Magistratū suū pmisit, omnib⁹ modis repudiabit prudens Irenarcha: Quia scilicet ex Historiis didicit, infœlicissimū huiusmodi cōsiliū fuisse euētum. Quippe Tribunitia potestas, subsequētib⁹ tēporib⁹ omniū seditionū causam excitauit: quę spē quidē plebis tuēdę, cuius in auxilium cōparata fuerat, re autē dominationē sibi acquirens studium populi, tum aduersus Senatū, tum aduersus Tribunos ipsos variis modis agitauit. Nam præterquam, quod

Malum consilium de admittēdis Tribunitis plebis.
L. Florus lib. 3. ca. 1. 2.

Tribuni ipsi per se rerū nouādarū studiosi fuerūt, & miri seditionū cōcitandarū artifices: ipse etiā populus ea intumescens potestate, Tribunos, quoties libuit, in Senatū insurgere cōpulsit, vt iam à multitudine regi magis, quam regere ipsi viderentur, vt inquit Liuius. Quæ res innumerarum prope seditionum causa fuit, ac proinde orta plebis aduersa: Senatū seditione, neglecto eo, quod tā infeliciter Romanis successit, consilio, quiduis potius sustinebit Magistratus, quam vt neglecta auctoritatis suæ maiestate de Imperio suo quicquā remittat, aut in plebē trāsferri patiatur: quin potius tale adhibebit remediū, quo nō in præsentia tantū seditio cōprimatur, sed ne mox Respub. in grauiorē morbū recidat, omnis simul causa grauioris mali præcidatur. Sic ad extirpandas alicubi subortas hereses, recōciliandamq; in religione discordātium pacē: Magistratus, tā Ecclesiastici quam seculares, ea sibi ex Historiis cōsilia decerpēt, quib⁹ extincte olim hereses, non quibus aucte atq; corroborate fuerūt. Ac proinde neq; liberum permittēt vnicuiq; quod libeat credere. Quo cōsilio Iouianus Imperator, etiam si Catholicus Princeps, & Valens hæreticus, vsi sunt. Ille quidē, vt hoc modo blandimentis & suasione verborū, discordātium contentiones absinderet: Hic vero, vt pace vtcūq; inter colētes facta, Arrianorū ipse interim heresim cōfirmaret. Sic nec hereticis Ecclesias dabunt, nec sacra peragere permittent: Quod Gratianū & Valen-

*Tit. Liuius
lib. 3. ab urb.
cond.*

*Malum e
solum de hæ-
resi extir-
panda.*

*Trip. lib. 3.
cap. 4.*

*Trip. lib. 9.
cap. 2.*

DE RATIONE SCRIBENDI HIST.

& Valentinianum lege quoque sanxisse, tradunt Historiæ. Sed nec colloquia inter Catholicos & hæreticos instituēt, quod Principes quosdā Catholicos Augustini temporibus fecisse, ipse in Breuiculo suo, & sepe aliàs in Epistolis, testatur. Hæc (inquam) veterū cōsilia nostri Magistrat^o, siue Ecclesiastici siue seculares, in extirpandis hæresibus, & cōponenda inter discordantes pace, minime amplectētur. Nā etsi pia & Catholica Veterū Principū fuerit intentio, nēpe, vt his cōsiliis perturbatū hæresibus & schismatibus Ecclesiæ statū, ad concordiam & tranquillitatē reducerēt: tamē, quia huiusmodi cōsiliorū infœlicē fuisse euentū Historiarū exemplis docētur, minime imitāda erūt, sed omnib⁹ modis, quæ iam male successerunt repudianda.

*Consilia de
Colloquiis cū
hæreticis fa-
gienda.*

Contrā vero diligēda erūt, quæ fœliciorē successum & euentum habuerunt. Cuiusmodi sunt, Vt Catholici Magistratus suboriētibus hæresibus in tēpore occurrāt: Vt Ecclesiarū Prælati à Ro. Pontifice, de admonēdis conuertendisque hæreticis, & qui ab his ipsis decepti fuerint: tū interponēdis fundēdisque pro ipsis ad Deum precibus: tum dānandis & Anathemate feriendis his, qui pertinaciter in errore perseuerauerint, admoneātur: Vt Ecclesiarum Episcopi & Prælati, quæ ad hunc modū à Ro. Pontifice mādata fuerint, quæque iuxta paternas regulas ad eorū officia pertinēt, in cōuertendis hæreticis, dānandisque & anathematizandis hæresibus, earumque authoribus, fautoribus, & defenso-

*Consilium e-
ficax contra
exortas hæ-
reses.*

Executio contra hæreticos. ribus, fideliter exequantur. Ut Imperator ceteriq; Catholici Principes, à Romano Põtifice, ceterisq; Episcopis & Prælatiſ, admoneatur, ut ipſi quoq; ſanctã Dei Eccleſiã, aduerſus hæreticorum inſultum defendãt, & quę aduerſus ipſos & eorũ errores, Eccleſiaſtico iudicio decreta fuerint, executioni mãdent, ac iniuriam Deo & Eccleſiæ eius per ipſos illatã, ipſo etiã gladio vindice perſequatur. Deniq; ut Imperator, & Catholici Principes, ad hunc modum à Prælatiſ Eccleſiaſticis admoniti, tum laicis à ſe quoq; legibus, tum publicis edictiſ propoſitiſ, hæc omnia re ipſa exequatur. Hęc (inquam) & ſimilia cõſilia, quibꝰ ad vindicãdas extirpandãſq; hæreſes, veteres Eccleſiæ Principes & Magiſtratus, tam Eccleſiaſtici quã ſeculares, uſi ſunt: noſtri quoque Principes & Magiſtratus, quoties uſu venit, quiſque pro iniuncto ſibi officio amplecti debent. Quia hæc ipſa ſælicem olim habuiſſe euentum, ex Hiſtoriis, tam ſacriſ quam prophanis, edocentur. Sed nec illa con-
Exẽpla Principum bonorum. tẽnenda Hiſtoriarum utilitas eſt, quod & boni per eas ipſas virtutum ſuarum laudẽ adipiſcuntur, & mali vitiorum reprehẽſionẽ patiuntur: & hoc quoque modo boniſ, quę ſequentur bonorum, & quę fugiãt malorum, exẽpla proponuntur. Quippe Auguſtum, Flauium Veſpaſianum, Titum, Cocceium Neruam, Diuum Traianum, D. Adrianum, Pium & Marcum Antoninos, Seuerum Afrum, Alexãdrum Seuerum, Claudium, Aurelianum, Valerianum: tametiſ
 Idolatras,

DE RATIONE SCRIBENDI HIST.

Idolatrias, tamen omnes salutare Reipub. Principes. Constantinum item Magnum, Marcianum, Theodosios, Valentinianos, Arcadium Honorium, Iustinianum, & reliquos eorum successores, pios & Catholicos Principes. Et contra, Claudium, Neronem, Caligulam, Domitianum, Maximinos, Antoninum Caracallum, Heliogabalum, Maximinos, Gallienos, Diocletianum, Idolatrias, Constantium item, Valentem, Iulianum, Anastasium, & si qui sunt his similes alios, titulo quidem Christiani nominis insignitos: re autem ipsa Ecclesiae Catholicae crudelissimos persecutores. Quis (inquam) omnes hos tam bonos quam malos Principes, immo inter hos etiam monstra quaedam & portenta nosset: nisi eorum ipsorum dicta & facta, Suetonius, Cornelius Tacitus, Dion Cassius, Aelius Spartianus, Julius Capitolinus, Aelius Lampridius, Trebatius Pollio, Flavius, Vopiscus, Orosius, Eutropius, aliique Historici, in literas retulissent? ac omnibus, quotquot post fuerunt, & deinceps futuri sunt, Principibus imitandi fugiendique exempla reliquissent? Possem iam innumera prope consiliorum, tam bonorum quam malorum, exempla inferioribus Magistratibus, omnibusque; adeo qui publici in Reipub. muneribus funguntur, vel imitata vel declinata, ex Historiis proferre: Sed quae unusquisque sibi, quatenus ex usu esse putabit, paucis his à nobis comenefactus, vel deliger bona, vel mala repudiabit.

Exempla malorum.

Historici de gestis Principum.

*Ex Cic. lib. x.
actionum in
Verrem.*

Fabius Quintilianus cognitionem Historiarum Oratori necessariam esse affirmat, quod abundare debet exemplorum, tum veterum tum nouorum, copia. Veterum quidem ea fortasse ratione, quia antiquitas ipsa plurimum solet & auctoritatis habere ab probandum. & iucunditatis ad audiendum, ut inquit Cicero Sed utrarumque, quia tam veteres quam noue, plurimum tam ad probandum, quam ad docendum valent: maxime in his rebus, quae ad disciplinam publicam moresque, & ad rerum publicarum administrationem pertinent. In exemplis enim non modo res ipsas gestas, sed ipsarum etiam actionum consilia, unde exempla nata sunt, spectamus. Ego vero hunc exemplorum usum non Oratori tantum, sed omnibus etiam, qui de Republica siue constitutenda, siue prudenter gubernanda, tum de singulorum etiam Republicae administrantium muneribus recte administrandis, certa praecipua tradunt, utilissimum esse puto: ac de me certe illud affirmare ausim, me non alia re magis in his, quae a me haecenus scripta sunt, utcumque soluendis, quam exemplorum copia esse adiutum. His enim ipsis, non solum quae demonstranda a me suscepta sunt, probasse mihi videor: sed etiam quae demonstrata sunt, in certam consiliorum, praceptorum, officiorumque formam redigisse. Id autem quam feliciter praestiterim, eorum esto iudicium & censura, qui Legationes meas (in quibus plus minus Quadringentis exemplis ex variis Hebraeorum, Graecorum, & Latinorum,

*Quomodo pro
muscue uten-
dum est exemplis.*

*Libri D.
Bruni De Le-
gationibus.*

DE RATIONE SCRIBENDI HISTO.

tam sacris quam prophanis Historiis deprōptis, & singulis ad suum apposite, utputo, collatis locis usus sum) aliasq; lucubrationes meas, præsertim iis, quæ nuper de Hæreticis ædita sunt, legerunt. Iam vero ex omnibus Historiis omnium maxime eas deligendas esse censeo, quas esse verissimas iudicabimus. Etsi enim prima lex Historiæ sit, ut nihil falsi dicat, nihil veri dicere non audeat, & ut nulla sit in ea gratiæ suspitio: tamen eam legem non æque in omnibus Historiis ab omnibus obseruatam esse scimus, ut Flavius Vopiscus, ipse quoq; non contemnendus Historicus, non vereatur dicere, neminem scriptorum, quantum ad Historiã pertinet, non aliquid esse mentium. Nam & in T. Liuiio quædam esse, quædam in Salustio, quædam in Cornelio Tacito, quædam in Trogo: quorum fides manifestis testimoniis labefactari possit. Maxime vero Græcorum Historiis non integram ubique fidem habendam esse, veteres Latini existimauerunt. Quemadmodum in Satyra dicitur.

Et quicquid Græcia mendax Audet in Historia.

Quin tanta etiam eos in scribendis Historiis fingendi libertate usus fuisse creditum est, ut recte dixerit Fabius, Græcis Historicis plarumque Poëticæ similem esse licentiam. Sed & in cæteris rebus vniuersæ Græcorum genti parum fidei tribuit antiquitas. Veruntamen (inquit Cicero) hoc dico de toto genere Græcorum, tribuo illis literas, de multarum artium disciplinã: non adimo sermonis leporem, ingeniorum acum,

*Lex Historia
præcipua est.
scribere vera.*

*Mendaces
Græcorum
Historia.
Inue. 10.*

*Cicero in ora-
tione pro L.
Flacco.*

dicendi copiam: denique, si qua alia sibi sumūt, non repugno: testimoniorum religionem & fidem nunquam ista natio coluit. Porro inter omnes Historias iure ac merito primum sibi locum vendicat, quæ in veteri & nouo Testamento continetur, quia scilicet verissima est: Quippe sancto Spiritu inspiratore & duce, & scripta, & tot sæculis, non sine miraculo, ab omni falsitatis nota integra & incorrupta conseruata. Post hanc, maiorem mihi fidem habere videtur, siue sacræ, siue prophanæ, quæ ab his scriptæ sunt, qui quæ narrant vel præsentis ipsi spectarūt: aut ex eorū, qui præsentis fuerūt, vel ore, vel scriptis acceperūt. Quales fere sunt inter veteres Ecclesiasticas, quæ de persecutione Vandalorum scripsit Victor Epistolæ item Historiales Basilij magni, Augustini & Hieronymi, & quædam Originis, Tertuliani, & Irenæi scripta. Et inter prophanas quædam Suetonij, quædam Cornelij Taciti, quædam Vellei Paterculi, & aliorum: In quibus ea narratur, quæ auctores ipsi, partim præsentis viderunt & audiuerunt, partim gesserunt, partim ex eorum relatione vel scriptis, qui & ipsi rerum, quæ narratur, actionibus atque tractatibus interfuerunt, acceperunt. In his siquidem & similibus Historiis, res certa & bona fide, & sine verborum vel fucō vel delectu, narrari & exponi videmus.

Differētia inter Oratorem & Historicū.

Tito Liuiō illud in Historia laudi datur, quod in Concionibus, supra quam narrari possit, eloquens fuerit: sed quæ laus in Oratorem

rem

DE RATIONE SCRIBENDI HISTO.

rem magis, quam Historicum conuenit. Oratoris siquidem est eloquentiæ studere: Historici vero, nullo verborum quasito & affectato oratorum veritati. Orator dicendo suis etiam verbis causæ, quam orandam suscepit, inseruire potest. Historicus rem, ut gesta est, & verbis ad rem proprie pertinentibus narrare: quæ vero dicta scriptæ sunt, quantum fieri potest, iisdem etiam verbis referre debet. Hanc legem diligentissime quique Historici probati obseruarunt, veritatis magis in scribendis Historiis, quam eloquentiæ studiosi: qui non veriti sunt aliorum quantumlibet etiam barbara scripta, sed res tamen, ut dictæ & gestæ fuerint, exprimentia, suis Historiis inserere. Sic Trebellius Pollio, cum Versus quidam Græci boni, in Latinam linguam translati essent non bene: nihilominus tamen Historiæ suæ etiam non bene translatos inseruit, hac subiuncta causa. Hos ego (inquit) Versus, à quodam Grammatico translatos, ita posui, ut fidem seruarem: non quo melius non potuerint transferri, sed ut fidelitas Historica seruaretur, quam ego præ cæteris custodiendam putauit: qui id quod ad eloquentiam pertinet, nihil curo. Et Flavius Vopiscus, idem ipse non paræ inter Historicos authoritatis & fidei, eius quam dixi Historicorum legis memor, omnes, quarum copiam habere potuit, epistolas ad materiam subiectam pertinentes, Historiæ suæ inserens, inter cætera ait, Extat epistola, quam ego, ut soleo fidei causa,

Historici veritatis magis, quæ eloquentiæ studiosi. Trebellius.

Vopiscus.

Joan. Cochlaeus.

immo ut alios annalium scriptorum fecisse video, inferendam putavi &c. Atque in hoc sane genere mihi plurimum excellere videtur Reuerendus, & idem in omni honestarum artium atque disciplinarum genere haud vulgariter doctus, maxime vero Historiarum omnium, tam sacrarum quam profanarum, veterum & recentiorum, egregie peritus, D. Io. Cochlaeus: qui hisce nostris temporibus duas Ecclesiasticas Historias, alteram de Hussiticis, alteram de Lutheranis rebus scripsit, eius quam dixi Historicorum legis obseruantissimus. Nam praeterquam, quod homo Germanus est, & ut toti iam orbi notum est, integerrimae & sanctissimae tum fidei tum vitae, quae res ei merito eiusque scriptis summam fidem conciliare debet: in priori illa Hussitica nihil aliud narrat, quam quod certissima fide vel publicorum monumentorum, vel aliarum eius temporis authenticarum, & fide dignarum scripturarum, comprobetur. Quae vero in posteriore de Lutheranis rebus scripsit, eo maiorem fidem habebunt: quia nihil eorum, quae à Luthero & eius complicibus vel acta vel dicta sunt, hunc nostrum authorem latere potuit: quippe Luthero non solum contemporaneum, sed multo etiam tempore vicinum (Nam, secundum Iureperitorum regulam, Vicinus vicini acta scire praesumitur) Noster siquidem author Dresdae, Luthero Vuittenbergae ad Albim fluuium, altero ab altero paucis admodum miliaribus oppido distante, egerunt. Sed & eo in describendis

Dna Historia eius bene fidei.

DE RATIONE SCRIBENDI HIST.

describendis quæ in tota hac causa acta sunt diligentior fuit hic noster Historicus: ac tanto etiam maior illi fides habenda. Quia totam causam istam Ecclesiæ Catholicæ esse sciuit, quæ est omnis veritatis firmamentum, quam & aduersus truculentissimum hunc Ecclesiæ hostem Lutherum, aliaque ab eo nata teterrima monstra. defendendam propugnandamque suscepit, & ob id cum iisdem perpetuo, iam inde ab initio nata tam funestæ factionis, certamine conflixit, & multa etiam, velut fortissimus pugil, verbi Dei gladio potenter atque euicit prostrauit.

*Utilitas harum
Historiarum*

Postremo, utilitatem harum Historiarum, cum ex multis aliis, tum ex eo maxime metimur quia in his propositis duorum Hæresiarcharum exemplis, Ioanne Hus & Martino Luthero, velut in speculo contemplamur, quæ sit natura, & quæ causæ hæresum: qui hæreticorum mores, quæ ex his blasphemia, sacrilegia, calumniæ, & iniustæ persecutiones, crudelitates & immanitates, quas variis modis in Catholicos exercent & innumera alia id genus mala & incommoda enascantur: Et quod omnium periculosissimum est, quàm breui tempore in quantos auctus ex crescant hæresum zizaniæ, si suborientes nō statim supprimantur, atque radicitus euellantur. Horum (inquam) omnium exempla in his duabus Historiis nobis proponuntur, quibus ad veterum collatis Historias, hæc obscure cognoscem⁹, primū quā nūquā nō sibi similes sint hæretici, id est quā omnes, qui vnquā fuerunt, & qui

Multa ex hæresibus mala nascuntur.

futuri sunt, impiis, & in Deum & Sanctos eius
blasphemi sint: Dei & hominum contemptores
sacrilegi, crudeles, mendaces, fraudulentis, fœdi
fragi, pacis & tranquillitatis publicæ perturba
tores, rerum denique publicarum corruptores
& eueriores. Deinde quæ in sedandis extirpan
disque hæresibus consilia olim vel fœlicem vel
minus prosperum successum habuerint, ea simi
libus emergentibus hæresum & schismatum cau
sis & negotiis, similem semper euentum sortiri.
Magna certe hæc & nunquam negligenda, quæ
in his Historiis nostris ad rerum publicarum ad
ministratos redit, utilitas. Etenim his exem
plis admoniti discunt, ut quæ maioribus nostris
fœliciter successerint, consilia amplectantur: quæ
infœliciter, multa animi prouisione fugiendo
relinquant.

*Conclusio ad
lectores.*

Hæc habui, Pii & Catholici, & Historiarum
Ecclesiasticarum studiosi Lectores, quibus vo
bis duas has D. Cochlei nostri, viri, sæculorum
memoria digni, Historias commendare. Quas
ubi diligenter legeritis, & eum, quem vobis ex
earum ipsarum lectione fructum promisi, per
ceperitis: tum & vestris commodis recte inser
uitum, & Authoris & meis quoque votis satis
factum esse, ex animo gaudebo. Valete. Lands
hutæ in Bavaris.